



1. Melchioris Schmidij diss. de Linguis Sacris. 1685.
 2. Joh. Bernh. Hahn diss. de appellatione Lingue
Hebreæ, quia dicitur Sancta. 1712.
 3. Joh. Henr. Höner diss. de voris quam hebrei vorant
scilicet. 1673.
 4. Valent. friderici diss. de filia vocis. 1670.
 5. Henr. Liedert diss. de mandato scribendi novum testam.
1710.
 6. Joh. Henr. Lyrij diss. de usu Lingue Syriacæ. 1726.
 7. ejusdem De historia Lingue Sanctæ. 1726.
 8. Mich. Gherckx diss. de fama græciæ Lingue. 1716.
 9. Joh. Bernh. Hahn diss. exhibens decadem observa-
tionum philologicarum, e litteratura Græca, Orie-
ntalium, & Lycianarum. 1715.
 10. ejusdem, De appellatione Lingue Obræ, quia dicitur sancta.
1715.
 11. ejusdem, diss. exhibens decadem obseruationum
philologicarum e litteratura orientali. 1715.
 12. Bernh. von Sanden diss. de Aoræ, 1709.

62 58

MEDITATIONIS PHILOSOPHICÆ
SPECIMEN
DE
MIRACULIS,
PRO RECEPTIONE
IN FACULTATEM PHILOSOPHICAM
EXHIBET
M. CHRISTOPH. FRIED.
Gaumgarten/
RESPONDENTE
JOH. GODOFR. ARNOLDT,
REG. PRUSS.
ANNO MDCCXXI. D. III. DEC.
AB HORA VIII. USQUE XII.
REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

ILLUSTRISSIMO GENEROSISSIMO
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
LUDOVICO
ab OSTAU,
S.R.M. in Borussia Consiliario Status
intimo & Cancellario,
Summi Appellationum Judicij Præsidi,
Rerum Feudalium, Collegique Commerciorum
Directori,
Hæreditario Domino terrarum
Lablack / Riesitten &c. &c.
Mæcenati suo gratioſiſſimo,

Hicce primitiis se suaque omnia
consecrat

CHRISTOPH. FRIED. Baumgarten.

LECTOR BENEVOLE.



Ua humanitas me persuadet, te hocce
de opere non judicaturum, priusquam
& meam de eodem mentem & me-
ditationem ipsam perlegeris. Non ne-
go, plurima de Miraculis extare scri-
pta, quæ theologicæ partim, partim
philosophice materiam pertractarunt,
id autem ingenue fateor, ex omnibus
Philosophorum scriptis unicum mihi tantum satisfecisse
WOLFIUM Celeberrimum in den vernünftigen Ge-
danken von Gott, der Welt und der Seele des Menschen.
eiusdem enim Cap. IV. præsentis meditationis fundamen-
tum est; id quod tamen vitio mihi verti nequit, præter
summam enim gratitudinem, quam Autori debeo, verita-
tem profiteri, nullus unquam dubitavi; non ergo nova
sunt, quæ protuli, veritas enim omni antiquitate antiquior,
neque crambe scopiis cocta repetitur, Wolfio enim quodsi
Leibnizium addideris, omnes ferè nominaveris illos qui
huic veritati indagandæ suam tribuerunt operam. Multa
autem licet de miraculis dici possent, Philosophus tamen
primo omnium, de rei existentia certus ejusdena defini-
tionem adornare & demonstrare solet: existentiâ ergo mi-
raculorum præsuppositâ, unice rō quid sint pertractare pla-
cuit. Dicta hactenus sunt miracula tantum supra natu-
ram esse, ac suspensis à Deo naturæ legibus produci, ast
suspensio hæc legum nunquam satis explicata, ac ita nihil

A

certi

MEDITATIO PHILOSOPH.

certi de illis dictum : distinctio ergo operum Dei , (cum Omnipotentiæ Dei contrarium non sit , annuente ejusdem Omnisapientiâ , naturam hujus Universi penitus destruere,) in ea , quæ naturæ conveniunt , & contra naturam sunt , mihi semper magis placuit , posterioris generis miracula esse præsens meditatio evincere studet ; in ea me ex officii ratione tantum ut Philosophum gessi , in genere demonstrans , miracula esse contra naturam hujus Universi . Principium Rationis sufficientis ut in se firmissimum , ita & hic utramque facit paginam , sæpius proinde & subintelligendum , ubi ratio quædam deficere videtur . In ipsa tractatione ea sunt præmissa , ex quibus subsequentium cognitio dependet , dari nempe nexus rerum omnium probant §. 3. priores , miracula jam ad hunc nexus non pertinere , quin potius eundem dissolvere , diductum usque ad § 12. in quo & duobus postremis Poiretto , huic sententiae contrario , respondeatur . Nulla autem addita dictorum ad divina S. S. miracula applicatio , partim ne falcem alienæ messi immittam , partim quia plura adhuc ad solidam miraculorum explicacionem requiruntur , ac quidem hic exposita sunt , nam & ipsa miracula , licet ex divinâ potentia eadem sint , inter se tamen distinctionem quandam admittunt , nonnullis siquidem causæ naturales succurrere , alia vero eò magis naturam debilitare videantur , quæ expositio & ob gravitatem & ob dignitatem suam huic non potuit annexi . Hanc ergo legens de Miraculis meditationem , non theologice sed philosophice , & non tam imaginatione quam intellectu puro eandem examinabis , rogo .

§. I.

§. I.

Amiranda magis quam determinanda est rerum infinite multarum in hoc universo diversitas. Velenim omnia graminis folia in prato tantæ magnitudinis, quantam oculus tuus visu acutiori limitare potest, operosa attentione conferas, nec duo in omnibus sibi simillima te inventurum audax spondeo. Nulla enim dari posset ratio, quare si simplicium quorundam perfecta detur similitudo, simplex aliquod hunc præcise locum non autem spatium illius adimpleat, cum quo perfecte convenit. Ex simplicibus postea inter se simillimis similia quoque composita si orientur, eadem & de illis quæstio, gratis sufficientem responsum sperans, repetenda esset. Natura ergo cum nihil frustra faciat, id quoque abhorret, cuius nulla dari potest ratio, & inde totalis quoque rerum convenientia inani opera quæritur, nunquam reperienda. Nulla autem licet in mundo omnimoda detur similitudo, dissimilium tamen perfectissimam adesse harmoniam vix quisquam negabit; Tantum quippe abest, rerum diversitatem nexui universali obesse, quin certo modo hic illi innatur. (*) Aspicias autem infra, supra, circum te, omnia in uno loco & unumquodque in omnibus locis, præter mutabilitatem coexistentium & succendentium nonnisi arctissimum singulorum nexus reprehendes, ita ut unumquodque rationem in se contineat, quare aliud sibi coexistat, aut inseparatur. Simplicia equidem oculum tuum sufficiunt, nam deest illis figura, quia carent materia, quæ sola extensis limites admittit; nec motus illis inest, qui radios luminis reflectere possit, nexus eorundem inter se si per microscopia cernere velis, interim cum rationem coexistentium in se contineant, harmonico quoque consensu ea conspirare nullum est dubium. In compositis apertius id patet, quod in simplicibus animadvertere concessum non est; Sive enim corpora totalia sive partialia consideraveris, nec in his nec in illis quicquam occurret, quod per se extra harmoniam consistat, ita, ut ratio existentia suæ in alio extra se querenda non sit, id quod adeo manifestum, ut vix ullus dubitet. Ex communi nam-

A 2

que

(*) Vid. Leibnizii Monadologie §. 53.

4 MEDITATIO PHILOSOPH.

que consensu & suffragante ratione mundus hic , quem DEus ex pluribus possibilibus ad existentiam redegit, inter perfectissimos iuste dicitur optimus ; at deficiente nexu ne bonus quidem esset, perfectio enim est consensus in varietate , qua plurima diversa in uno fundamento harmonice convenient , ita , ut non tantum strictissimus ordo obseretur , sed nec superflui nec deficientis quid reperiatur. Cum itaque major sit perfectio, quod accuratior diversorum convenientia, maxima quoque rerum totius universi erit harmonia , optimus si hic mundus esse debet, prout revera est ; Dei enim sapientia falli nescia talem machinam producere non potuit, quæ sane rationi ritè eandem contemplanti culpabilis esset. Concipe ergo tibi, mundum esse seriem simultancorum & successivorum inter se connexorum , haud errabis.

S. II.

Ac simultanea quidem quod attinet , tot tibi praesentia habes corpora , quot nunquam aut imaginatione aut ratione assequi vales ; materia quippe actualiter potius ac mentaliter in infinitum divisibilis existit æque ac in infinitum connexa. Considera enim compositum quocunque volueris , necessario id ipsum spatium quoddam impletbit ; habet enim partes & inter se distinctas & extra alias subfistentes, unus itaque locus partibus totius compositi omnibus non sufficit, sed cum qualibet pars se ipsam certo spatio determinet, singulæ etiam peculiarem locum possideant , necessum est. Locus jam in composito nihil ordinat, quin hanc compositi partem æque ac aliam susciperet, compositum autem ita spatium implet, ut anterior ejusdem pars posterioris locum aut vice versa non possideat, quin potius structura ordinem ad destructionem usque suam accurate observet, in partibus ergo suis ordinis rationem contineat , quare hæc pars hunc præcise, & non alterius partis locum petat; locus enim nihil aliud est, quam determinatus coexistendi modus , ordo coexistentium autem, cum spatium audiat, ratio, cur determinatio hoc partes compositi modo coexistant, nexus erit, quo simultanea inter se conjunguntur. Ac talis quidem ratio in minima totius universi omniumque ejusdem partium particula a primo existentiæ sua principio adsumit, nunquam cessatura. Dei enim sapientia ex nihilo omnia producens

non

non pro lubitu & ex indifferentia æquilibrii res huc illucve posuit, sed optimam conditurus machinam, perfectissimum etiam omnium partium consensum observavit. Efficacissima equidem voluntas ejus possibilia in actum deduxit, ast ea tantum, quæ omnisapientissimus ejus intellectus summae perfectioni convenientia esse dijudicavit, quæve per naturam suam aptius hoc quam alio loco, utilius cum his ac aliis corporibus consistere visa fuerunt; neque vero & hæc prævisio voluntatem Dei flectere potuit, voluntas enim æque ac Deus ipse independens est, nulla ergo eandem necessitas nec ab extra nec ab intra cogere potuit, quin semper liberrime egerit Ens sapientissimum, quanquam non absolute, cuivis ergo & minimæ partis locationi rationem communicavit, quare ex possibilitatibus statu ad actualitatem translatâ, his & non aliis partibus juncta fuerit, ac ita non potuit non universalis quidam nexus totum hoc universum conjungere. Nec ipsum mundi sistema nexus suarum partium strictissimum negare potest, nullam enim si rationem aliam adducere posset, hæc sufficit, quod machina sit, cuius essentia certo in structuræ modo consistit. Quemadmodum autem in quavis constructione nonnullæ attendenda veniunt regulæ, secundum quas partes construi debent, ac quibus neglectis artificium vix perfectum esse potest, ita eo plures in mundi productione observatae sunt regulæ, quo magis admirandum hoc Dei est artificium; Ipsas autem has compositionis regulas cuivis parti rationem coexistentiæ suæ & nexus cum aliis indidisse, quis non videt? Negantem hunc nexus ipsa corporis tui fabrica convincere poterit. Si enim unumquodque simplex universum hoc in certo punto sibi repræsentare potest, (* majori omnino repræsentationis vi pollebit anima tua, utpote ad majorem spiritus perfecti gradum evecta, ita, hoc ut mediante speculo intimum rerum materialium nexus penetrare & admirari possis. Ast hypothesi hac ulteriori indagini relicta, penitus paulo ipse scruteris principium actionum tuarum, quæ possibile, quod si nullus revera datur nexus, ipse neveris, te consensum rerum negare, cum nunquam rei cuiusdam quis conscientia esse possit, nisi eandem ab aliis distinxerit, quæ ipsa reflexio nexus importat; quæ possibile, quod ad certa objecta

sensus tui moveantur ac affectus ita excitentur , ut desiderio rerum flagres anxio , has inter & te si nullus est nexus ? quod sana corporis tui membra ad debilem lassitudinem redigantur , anima tua tristi existente ; uti è contra anima luctum compacitur membris tuis doloribus ; nullus si rerum nexus est , omnia tibi ex fatali necessitate evenient , atque ita nunquam sorte tua contentus plaudere poteris , cum omne malum metuendum sit , quod non potes effugere : Ne jam quid dicam de harmonia membrorum corporis tui , cujus observationes anatomicæ documenta sunt firmissima , contestantia , nullas fibras , musculos , tendines locum suum sine sonica causa occupare . Tantus proinde partium cum sit nexus , quantus non erit totius universi , ac cum in microcosmo harmoniam concedas , ne eandem porro in macrocosmo neges , cum ille hujus pars sit .

§. III.

Stante jam hoc partium coexistentium nexus , eundem etiam , quo universalis esse possit harmonia , & successivorum dari , ostendendum erit . Mundum non aliter quam ut seriem mutabilium conspicis , ut compositus enim mutabilis etiam est , partes quippe ejusdem ex nece ssitate absoluta non coherent , aliud propterea locum & situm non modo occupare possunt , sed & actu occupant , occupare autem aliter non possunt nisi per motum ; transpositio enim partium ex uno loco in aliud est motus , qui , cum varia in eo distingui possint , quæ præcesserunt & subsequuntur , in tempore fieri debet , in tempore porro nihil absque ordine esse potest ; ipsummet enim tempus cum ordo successivorum sit , ea omnia in ordine producit , quæcumque in eo enasci dicuntur ; ordinis servantes mutationes nexus inter se involvunt , quod enim præsens eventus futurum non subsequatur vel & præteritum antecederit , quin inter hunc & illum , ut trium articulorum catenæ ejusdam medius evadat , ordo efficit ; ordinis itaque & ratio connexionis vinculum erit , demonstrans , in mundo omnia connecti quoad tempus . Corporis quoque idipsum natura loquitur , non solum enim eadem in natura servatur virium motus quantitas , sed & omne corpus est agens , seu habet vim quandam aliud corpus movendi , motumque sibi semel impressum tandem conservandi quandovis causa externa nulla eandem impedit . Quid si enim corpus tantum

DE MIRACULIS.

tantum patiens esset, nullo discrimine internus corporis cuiusdam status à statu alterius dignosci posset; quod cum per principium rationis sufficientis esse non possit, omnino in corpore detur aliquid, quod motum & aliis imprimere & sibi impressum servare possit: Activitas autem hæc corporis cum nec ab essentia ejusdem, quæ tantum est structura partium, nec à materia dependeat, cui tantum natus reniteadi inest, qui nec movet, nec movetur, sed superari debet ut motus produci possit; præter essentiam & materiam vis movens corporibus omnibus propria sit, quam eorundem naturam dixerimus. Omnibus porro si corporibus vis movens inest, nec toti huic univerlo eadem deneganda, omnia enim corpora sunt partes, quæ conjunctim sumtæ unum totum conficiunt, non autem essent ejus partes, si cum toto non exæcta convenient, licet itaque quodcumque corpus peculiarem suum habeat motum, omnes tamen hi motus unam quasi tantum vim constituant, quæ per univerlum rerum complexum se diffundit & universi hujus natura audit, hæc ipsa ergo natura eandem virium fuarum servans quantitatem omnes vi- cissitudines producit, dum semel sibi impressam directionem nunquam neglit; quodsi autem una generalis est directio, & per omne tempus eadem, nihil, quod eandem constituit, vi principii contradictionis, ipsi quoque impedimento esse potest, omnes proinde corporum sese moventium regulæ speciales in generali hac directio- ne convenient, seu quod idem est, omnia sunt connexa quoad tempus. Nec objici potest, motum hunc esse arbitriatum, ideoque non omnia tempore connexa, non datur enim motus arbitrarius, sed omnis motus fit ad certam directionem, ita ut corpus semel motum in infinitum se ita movere perget, nihil si ejus directioni resisteret, aut eandem mutaret; nullas enim quodsi motus observare regulas teneretur, corpus aliquod post motum impressam deflectere immo & in contrarium vergere, moventi resistere aut nullo existente motore, ex se ipso statum quietis mutare, mox celerius, mox tardius currere & pro lubitu sibi finem imponere posset, nulla harum mutationum praesente ratione; hæc autem motus licentia cum & nature seruum & experientia contrarietur, nisi imaginaria, nulla est, quia omne potius corpus & ab alio & ad certam directionem moverur;

Obser-

Observat ergo totum hoc universum certas motus regulas, non quidem absolute, sed moraliter tamen necessarias, respectu causarum finalium Dei sapientiae manifestarum, nullatenus arbitrarias, ac quidem ita observat, ut ad generalem motus normam omnes corporum regulæ speciales collimant, adeo accurate, ut omnis temporum cursus catena quasi sit, cuius quilibet annulus rationem in se continet, quare alter ipsum insequeatur, alter præcesserit. Dubius si adhuc hæres, vita tua annorum æque ac dierum nexus considera, motus sanguinis generalem quandam observat directionem, eandemque tamdiu conservat, quamdiu nullum ab extra impedimentum ipsi insuperabile opponitur, quodsi jam inter minutissimas sanguinis guttulas minutissimo temporis momento non esset nexus, sanguis motum suum absque ullo impedimento nullave præsente ratione finire posset, atque ita nec mors nec vita tua naturaliter explicabilis esset, licet ipse pars quædam hujus universi sis, quod uti omne compositum naturali modo explicari potest. Econtrario admissio rerum futurarum & præteritarum cum præsentibus nexu, facile est rationem vicisitudinum annuarium dare, ex hypothesi enim Copernicana, quæ jamjam non probabili duntaxat ratione sed Mathematica etiam Cassini demonstratione nititur, commode explicari potest, quomodo pro diverso telluris in circulo ad æquatoriem solis obliquo motu, tempestates & oriantur & variant. Impossibilis quoque omnis astronomorum esset calculus, nulla si detur temporum harmonia, qui tamen autores suos debitam inquisitioni impendentes operam haud fecerint.

§ IV.

Ex dictis facile patebit, quid jam sit naturæ cursus; certa enim compositionis ratio cum vi motrice conjuncta naturam in genere constituit, nexus proinde eventuum in hoc universo juxta essentiam rerum & regulas motus, cursus naturæ erit, huic mundo proprius. Atque hic nexus est inviolabilis, quodsi enim vel minima ejusdem pars omnino pereat, aut de novo accedat, vel etiam in locum tantum alterius ponatur, mundus hic idem amplius esse nequit, non enim ex mutato nexus id sequeretur, quod omnino evenire debueret, mutatio si exulasset: possibilia proinde plurima sunt in mundo, quia nullam implicant contradictionem, actu interim existere non possunt,

possunt, nisi ratio actualitatis suæ cohærentiæ rerum intertexta sit; omne igitur quod hunc mundum constituit, aut fuit, aut si jam nondum adest, ut futurum nexui involutum est; hinc inde etiam evenitus omnes licet in se spectati sint accidentales (mundus quippe ipse ita necessarius non est, ut ejus loco alias ab hoc diversus esse non potuerit) respectu tamen hujus nexus, juxta quem status præsens æque in præterito, ac futuris in præsenti, rationem existentiæ suæ continet, si non necessarii, omnino tamen certissimi sunt. Quicquid ergo in essentia & vi hujus mundi fundamentum habet, ita, ut vel ex structurâ partium, vel regulis motus, rationali modo vel jam evolutum sit, vel adhucdum evolvi possit, id omne naturale audit, seu cursui naturæ conveniens; uti è contrario omne illud, quod rationem existentiæ suæ nec in essentia, nec natura muneli habet, proinde intelligibili sui explicatione caret, quin potius & naturam & essentiam evertit ac destruit, id ipsum est contra naturam.

S. V.

Vera igitur miracula sunt effectus extraordinarii, contra naturæ cursum producti. Nullus enim unquam naturæ etiam qui studiosissimus fuit, ea accurate quoad omnia solide explicare potuit. Dantur equidem & mirabilia, qua deficiente notitia nexus nec semper nec a quovis explicari possunt, hæc autem non ex natura sui enodationem abhorrent, quin potius debita accidente inquisitione & evolvi possunt & semper evolvuntur. Ea omnia enim enodare possumus, quæcunque nobis ab animâ per vim representativam proposuatur. Anima autem non nisi mundum repræsentat, in mundo itaque cum omnia & spatio & tempore connexa sint, omnia quoque ea explicationem licet saepè difficilem, possibilem tamen admittunt eorum, quæ in hoc nexus continentur, & ex eodem fluunt. Miracula ergo aut explicari possunt sufficienter, atque ita ex nexu rerum eveniant, quo ab anima repræsentari possint, ab anima autem repræsentata ac evolvi possibilia cessabunt esse miracula; ea enim porro haud admiraberis, cuius solidam rationem in promptu habes, quin totum etiam naturæ cursum miraculum, & omne quod naturæ contrariatur, naturale etiam esse asserere velis; aut non possunt

sunt accurate evolvi , atque ita a nexus rerum non dependent , cursum naturæ ordinarium transgrediuntur , eundemque plane tollere possunt , seu sunt contra naturam , id quod in sequentibus classius patebit .

§. VI.

Essentiam hujus universi necessariam , quod si cum eventu miraculorum accidentalii accuratius contuleris , ipse tibi demonstrabis , miracula ex nexus rerum quoad spatia eruui non posse . Quam primum enim ex partium conjunctione compositum aliquod oritur , essentia ejusdem , quæ nisi partium structura aliud nihil est , necessaria evadit ; eo ipso enim , quod machina determinato modo possibilis existit , impossibile quoque est , eandem machinam & alio modo possibilem esse , oppositum ergo machinæ hoc modo possibilis cum contradictionem involvat , essentiam ejusdem facit necessariam ; Mundi itaque essentia , quæ ex possibiliteris in actualitatis statum jam redacta est , eo magis necessaria erit , quo magis rationi conveniens est , ab esse ad posse inviolabilem valere consequentiam : sequitur autem hinc inde porro ; quodsi essentia mundi est necessaria , omnem partium quoque mutationem , quæ a structura divelli nequit , respectu essentiaz etiam esse necessariam . Cum enim mundus non sit æternus , adeoque nec immutabilis , (licet ejusdem essentia , propterea quia necessaria est , æterna etiam & immutabilis existat) ideo mutationes varias subire debet , mutationes autem illæ sunt attributum essentiaz proprium ; neque enim mundum tibi concipere potes , absque mutatione , nisi ortum interitumve tuum ipse negare velis , tale ergo attributum sit , qualis est ejusdem essentia , nempe necessarium . Nil ergo ex hac structura & mutatione partium per accidens evenire potest ; quælibet enim pars rationem in se continet , cur ex hoc in alium transferatur locum , hanc & non aliam partem coexistentem sibi habeat , & hic strictissimus nexus omnem eventum hypotheticæ reddit necessarium , absolute certissimum . Ast miracula non sunt necessaria , imo nec ullo modo certissima , oppositum enim eorumdem ubivis hodie viget absque contradictione ; statui quoque nec præsenti nec futuro contrarium est , nulla iis intermixta esse miracula ;

cula; quodsi enim absentia miraculorum cursu naturæ contraria es-
set, mundus vel iis carere non posset, vel insigni laboraret defectu:
adhucum autem mundo nullus inest defectus, nec inesse potest,
probari enim nequit, nexus partium mundo semel concessum tur-
batum esse, ita ut a prima compositionis regula deflectendo, nullum
amplius in mutationibus suis attendat ordinem, quin sapientiæ ac
potentia Dei haud parum derogaret, mundus si jam pro lubitu se
conservaret, neglecta divina progressionis & mutationis suæ norma.
Cum itaque miracula hodienum non rariora tantum, sed & nulla,
quantum nos quidem scimus, adsint, mundus e contra eandem per-
fectionem, quam unquam habuit, adhuc possideat, non sunt necessa-
ria ac proinde ex nexus partium deduci non possunt. Quam parum
enim ex perfecta horologii cujusdam structura fluit, indicem horas
nonnullas transilire; cum cuius libet quidem horæ juxta ordinem
suum denunciatio eventus sit ex essentia horologii necessarius, sal-
tus autem qui omnino abesse potuit, salva partium connexione nec
necessarius, nec ex essentia ejusdem derivandus; tam parum & mul-
to minus effectus extraordinarius, qui miraculum audit, ex mundi
structura dependet, mundus cum non tantum machina, sed & longe
perfectius aliquid sit artificium, omnibus horologiis, quæ ab omni hu-
mana sapientia, in unum artificem collecta, fabricari possent.

§. VII.

Sed nec ex nexus successivorum miracula deduci possunt.
Nullum enim miracula observant ortus sui tempus, nec successive
certo labente intervallo crescunt, quin potius in instanti adsunt,
ita ut nihil in eorundem origine denominari possit, quid prius
quid posterius; quodsi enim in miraculi productione vel minimum
temporis discrimen cogitando assequi posses, impossibile amplius
haud erit, totam ejusdem naturam evolvere, temporis enim spa-
tium partium compositionem infert, & dum aliquid successive fit,
antecedens a consequente distinguere licet, ubi autem valet distin-
ctio, præsens etiam erit rō distinguendum, quod accidente exercita
tata judicandi promptitudine, cerebriorique rerum experientia, facile
resolvi potest & explicari; miracula autem cum explicationem

omnem respuant, nihil quoque in se continent, quod resolvi aut in tempore fieri possit, adeoque in instanti ad sunt; eo ipso autem demonstrant, se ex structura hujus universi derivari non posse, in hac enim ob nexus succedentium omnia phænomena in tempore sunt, quandocunque Sol patitur eclipsis, tellus antea ipsi ex opposito stare luna vero medio loco in linea recta per Diametrum solis transire debet, quod absque certo temporis lapsu fieri nequit: atque ita omnis quoque motus est successivus; in composito enim nihil nisi figura mutatur, partes quippe quæ per certam structuræ rationem figurant efficiunt, vel transponi vel novo accessu adaugeri vel minui possunt, quoquaque autem modo mutatio fiat, semper variatur locus, cum ergo non possibile sit, candem partem huic & aliis loco simul inherere, hanc & aliam figuram simul constituere, transpositio autem partium, sit motus, motus quoque omnis in tempore procedit, seu est successivus. Phænomenon ergo in instanti orum ex motu successivo enasci posse, tantum abest, quam parum duo contradictiones simul vera esse concesseris.

S. VIII.

Et naturalia equidem phænomena in instanti saepe orta esse videntur. Luna quamprimum in Zenith & Nadir partium nonnullarum terrestrium in centrum telluris minus gravitantium, gravitat, causa fluxus refluxusque marini esse, probabiliter assertur, * Luna autem cum intra 27. circiter dies cursum suum circa tellurem absoluta, globus autem terraqueus haud parvæ sit magnitudinis, ne per momentum quidem in puncto terræ tardari potest, ** inde jam in instanti lunam producere miraculum, colligeres, ast male: subitanè enim non sit in instanti, motus quippe, qui est transpositio partium, tanto celerior etiam esse potest, quanto minutiores sunt particulae transpondendæ, impossibile autem est, te vel sensu acutissimo

* Vid. Isaac Newton Philosoph. natural. princip. mathem. Lib. III. Prop. XXIV. p. 390.

** Conf. D. Joh. Wallisius in specimen hypothes. de fluxu & refluxu maris, quod insertum est Actis Philosoph. Societ. Reg. in Anglia anno 1666. mens. Augus.

mo vel cogitatione sagacissima divisionis in materia finem assequi posse, cum minimus vermiculus, quem oculo & sape armato vix conspicere potes, & que ex homogeneis constet partibus, ac aliud sui generis animal robustius, jam animalculi hujus, quodsi porro fibras, tubulos, nervos, tendinesve consideraveris, ad minimum te materiam in sua simplicia non posse resolvere hoc ipso convictus spero fateberis; accedit & hoc, quod minutissimum etiam, minutissimæ particulæ frustulum semper sit in motuñam licet sape totum compositum quiescere videatur, quia inertia materiæ in hærens motibus particularibus resistit, partes tamen ejusdem, etiam minimæ nunquam cessant a motu, id quod acumen sensuum longe transcendit; vermiculum enim illum tibi vivum concipe; nec proinde ipsi cor denegare poteris, multo minus succum vitalem ejusdemque per cordis arterias & motum & pulsum, aut omne illud, quod alii & que ac huic animalibus vitam dat & conservat *. Jam describe mihi spatium temporis, in quo animalculi hujus cor pulsat; neque tamen & tunc habebis motum porro indivisibilem, cum non semper idem cordis pulsus sit. Ex materia itaque & motu, in infinitum non tantum divisibili, sed & eâ per motum actu divisâ, effectus omnino celerrimus produci potest, qui tamen naturalis, nec in instanti est. In dijudicando itaque phænomeni cuiusdam celeri origine non tam spatium quam nexus temporis observandus est; singula enim hujus universi momenta artissimo nexus cohærent, ita ut nullus temporis articulus vel de novo accedere, vel perire, nulla præsente ratione, adeoque contra motus impetus vel accelerari vel retardari, impossibiliter autem transilire possit, quia natura siltum non facit; quando itaque eventus quidam brevissimo temporis intervallo tibi prodixit appareat, antecedentes causæ aut indagari poterunt, aut non, si non possunt, adhibitis aliis criteriis miraculum adesse concludere poteris, quodsi autem brevissimum tantum ortus ejus tempus attendere valeas, id ipsum cum antecesso connexas, & per sagacitatem ingenii tui in prolixius resolvens, adhibita industria ac experientia, non in instanti subortum esse,

* Admiratione dignas harum rerum observationes collegit Anton à Leeuvenhœck Tractat Arcana Naturæ detecta, & Francisc. III, de Lanis in Magisterio Nat. & Artis Tom. I.

quicquid miri adest , deprehendes . Et ipsa enim luna brevissimum licet, determinatum tamen temporis spatium, connexumve cum antecedentibus &que ac consequentibus cursus sui momentis, per gravitationem suam in quolibet terrae punctum certo attendit, nec minimum vel omitendo vel transiliendo; inque eo differt ejusdem effectus a miraculo , cuius quippe in obortu nihil naturale adest , cau saque miraculosum effectum producens & omnis & semper te latet, nexus enim temporis non modo rumpitur, sed & motus invertitur, totaque rerum natura impugnatur.

g. IX.

Neque vero & te ipsum fallas , fculneo isto universum hoc Dei instar colentium, asylo : Natura vires haud sufficienter nobis notas esse , causis proinde naturalibus id potius tribendum , quod eas excedere fingitur ; maxime cum leges universales decreta Dei sint, quibus nihil repugnare potest , miracula ergo nonnisi respecti ve ad hominum opiniones intelligenda esse, quæ tamen in se spectata, nonnisi naturæ opera sint. Concedas enim, ingenii nostri vires compleæ naturæ cognitioni impares esse, ergone miracula tantum effectus naturales sunt? autorem hujus dubii exacte non nosti , ergo non potuit fraudem committere? quin potius, ut ex ungue leonem, & publica confessione atheum; ita etiam ex indubitate signis miraculum nosse datum est. Humanæ interim sapientiæ facilius est, definire quid res non sit, quam determinare quid sit; in detegenda enim rei cuiusdam veritate a facilioribus semper nobisque notis ad difficiliora, processus est ordinarius, cum itaque constet, miracula ad effectus providentia & conservationis divinæ ordinarios non pertinere, juste concludimus , in naturæ viribus nullum quoque iis superesse fundamentum. Leges porro universales Dei decreta esse, nullus imperscrutabilem ejus voluntatem cum admiratione perpendens negabit, ast id concedi nequit , leges natura univeruale illud decretum esse, quo ab æterno liberrime determinaverit omnia , quæ fuere , sunt, adhuc erunt , aut esse possint , id ipsum enim omnino immutabile est, dantur vero ex liberrima Dei voluntate decreta alia, certas rerum circumstantias respicientia , hæc autem tantum adest naturæ

naturæ divinæ repugnare posse, quin potius inde originem suam hauriant; ita ergo Deus primæ rerum productioni certas quidem motus regulas indidit, dispensationem interim earum, imo & sublationem sua sapientia omnipotenter reservavit, neque vero & leges naturæ in se sunt ita necessariæ, ut nullæ aliae ab his diversæ condi potuerint, quin potius divino ab intellectu, ut proficuae conditioni hujus universi prævisæ, per voluntatem suam liberrimam introducetæ sunt; pro hoc rerum statu ergo, in tantum demum sunt necessariæ, in quantum Deus eas non auferat, auferre autem omnino potest absque sequela sibi repugnandi. Falsum quoque, miracula ex hominum opinione tantum talia esse; Deus enim opera sua ab hominibus ita agnoscit vult, prout ea etiam revera se habent, longe majora autem sunt, quam ut intellectus noster capere possit omnia, rimanda hinc inde & admiranda potius sunt, quam definienda, incerta vero magis extollenda quam extenuanda. Et quot non quotannis, de dixerim quotidie miracula prodirent, illorum omnium iudicium si ab hominum opinione tantum dependerent, si enim quot capita tot sensus, nunquam de miraculorum natura unanimis consensus erit, dissensum autem hunc non metuit infelix dubii pater, suam de miraculorum conditione opinionem universalem quasi faciens & irrefragabilem. In explicatione ergo effectus cuiusdam nobis ignoti, non ad nostram opinionem, sed ad phænomeni causas & circumstantias configiendum, hæ examinandæ &, si nos lateant, cum analogia conferendæ, usque dum ad ejusdem principia vel pervenerimus, vel ea assequi concessum non sit, naturæ jam vires, quodsi causæ miraculorum efficients sint, perceptibili & demonstrabili modo evincendum erit, quod ipsum autem sola opinio præstare nequit, veritati ergo neque contradictione, per quam constat, miracula ex causis naturalibus peti non posse, quin & porro constabit, naturæ potius cursum per eorum productionem everti.

§. X.

Essentiam hujus universi certa partium structura constituit, ita ut partium essentiaz omnes unum tantum compositum conficiant, quod

quod mundus audit, huic autem mundo nulla alia essentia vel addi vel demī potest; quālibet enim partialis mundi essentia per principium rationis sufficientis adest, & cum alia connectit, ita ut nulla essentia supersit, rationem future cujusdam, & ab hoc universo distincta continens; hæc enim cum nulla alia connecteretur adeoque non tantum nexum rumperet, sed & essentiam mundi mancam redderet, mundi autem essentia uti necessaria ita immutabilis est, quodsi enim vel quicquam eī accedat vel inde auferatur, eadem amplius non erit, sed diversa; unicam muscam de mundo auferri & in nihilum redigi tibi concipe, nec amplius, maxime autem successu temporis, cunctum habebis mundum, certa enim, licet & minima jam deest materia pars, cuius in locum si alia succederet, hunc autem plures in ordine suo insequerentur, tandem tamen spatium vacuum remanebit, quod nec cum antecedente nec subsequente corpore connecteretur, utrumque enim nullam in se possidet rationem, siūm quare spatium relinquat & aliud aut duo etiam simul occupet. Eodem modo nec minima alia essentia mundo absque hujus essentiæ mutatione inferri potest, omnia enim, imo & futura contingentia in mundi essentia, tanquam ovula in utero latent, ita ut multa licet ad perfectionem non perveniant, cuius sua cuique causa est, existentia tamen suæ in natura fundamentum omnino habuissent, si orta fuissent. Alia ergo essentia quodsi per omnipotentiam divinam mundo inferatur, partes segregantur, nexus dissecatur, mundique essentia ut mutata eadem esse desinit. Miracula ergo, cum ex causis naturalibus frustra deducantur, suam essentiam (licet ita impropre loqui, quia aliam miracula & in eodem subiecto introducunt essentiam) ut novam & a mundo distinctam ei inferunt; eo ipso autem nexus tollunt, essentiæque mundi immutabilem limitant. Neque enim ideis nimium blandiendo miracula ut mera somnia, phantasmatu aut glaucomata tibi sistes credo, cum nec abjectissimus divinorum attributorum contemplator talem de bonitate & misericordia Dei mentem tenere possit, quasi divinum Numen miseris & insciis ad sui suorumque operum agnitionem, per fallaces repräsentationes, quibus nihil realitatis inest, perducere velit, quin potius de non ideali sed reali & extra idca-

idearum cancellos revera existente mundo, quodsi antea convictus fueris, nec miraculorum realitatem ultro pernegare perges spero, quomodo autem tum concipere possis, essentiam quandam alii essentiae cum hac nullo modo connexae obtrudi posse, absque hujus vel mutatione vel destructione, non video, quia potius, quod si tantum horologium consideraveris, horarum determinatione ac demonstratione accuratori præ aliis se commendans, essentiam ejus immutabilem deprehendes, nec minimum enim minimæ rotulæ dentem elidere aut de novo inferre poteris, aliam nisi horologii, non quidem materiam, essentiam tamen habere velis; non equidem nego, posse horologium aliquod ab artifice suo ad indicandum tantum horas primum confectum, ita meliorari, ut præter completam horam, dimidiam, quartam imo & sexagesimam ejusdem partem indigitet & indicet, eo ipso vero prima quoque ejus essentia novo aliquo augmento adaucta ac ita mutata est, ut omnino pristina desierit. Machinarum autem cum æqualis omnium sit essentia, æquatis etiam erit ratio; miracula ergo divinam per omnipotentiam cursui naturali intertexta, mundi quoque essentiam dissolvunt, ita, ut aliam plane conditionem indueret mundus, nisi eadem potentia, sublato miraculo pristinum ei statum æque miraculose redonaret.

§. XI.

At motus etiam leges per miracula auferri, certum magis, quam satis explicabile est. Id præter alia certo constat, leges motus non quidem arbitrarias neque Geometrice necessarias, moraliter tamen omnino necessarias seu absolute certissimas esse, ut quarundam tantum mentio fiat: Quicquid moveatur, moveatur ab alio, lex est, nulla probatione indigens, cum nullus unquam eam in dubium vocaverit. Alia: Corpus omne perseverat in statu suo quiescendi vel movendi uniformiter in directum nisi quatenus a viribus impressis cogitur statum il-

C

lum

lum mutare, * suam etiam semper præ se tulit veritatem. Corpus enim quodvis ut materia, in se habet vim renitendi, quam commode inertiam dixeris, ut corpus, vim agendi seu conatum indefessum statum suum mutandi, hic autem conatus, cum non nisi per impulsum externum motum producat, semel impulsus inertiam materia sua vicit, semper ergo vim suam prosequitur, motumque semel concessum continuat, & quidem uniformiter in directum, ipse enim conatus sua directionis causa non est, sed eadem una cum motus principio ab extra accepit; proinde nec retardare nec accelerare, nullamve deflectionem dextrum aut sinistrum versus causare potest; in statu autem quietis positum corpus, nullam status sui mutationem ex inertia sua producere potest, semper ergo in quiete permanebit, nisi externa vis renisum superaverit; non minor enim requiritur vis ad corporis alicujus motum sistendum, quam prius necessaria fuit ad eundem motum eidem corpori imprimendum, unde cum vis inertiae æqualibus mutationibus æqualiter semper resistat, illa non minus in efficax erit, ut corpus in motu semel incepto perseveret, quam hæc, ut corpus quietescens semper in eodem quietis statu permaneat. Ejusdem etiam, ist est, inviolabilis veritatis alia motus lex est: Actioni contraria semper & æqualis est reætio, sive corporum duorum actiones in se mutuo semper sunt æquales & in partes contrarias diriguntur. Axioma hoc Mathematicorum eo minus in dubium vocari potest quo citius quilibet ejusdem experimentum instituere capax est; premas enim digito tuo lapidem, idem lapis & digitum tuum reprimet; miraberris equidem, quod vitrum malleo ferreo percussum frangatur, malleo integro manente; quod equus lapidem funi allegatum progrediundo promoveat, ac ita reactionem actioni non esse æqualem, at firmissime credas, iustum æqualiter & a vitro & a ferro recipi, funem utrinque distentum eodem se relaxandi co-

natu

* Vid. Newton I. c. pag. 12. & Jo. Keill Introd. ad ver. phys. Lect. XI. p. 119.

natu æqualiter & versus equum & versus lapidem gerere, malleus autem particulas duros magisque firmiter inter se cohærentes possidet, ac quidem vitrum, equus solo insistens majori robore præditus ac lapis funi alligatus, interim majus adhuc robur malleus possidet; ac ad frangendum vitrum impendere ipse opus habebat, ut & equus majoris alias gravitatis onus secum trahere potuit; quando autem per accidens talia corpora contra se moventur, quæ ejusdem sunt firmitatis & roboris; compositum nonnunquam constituunt, quod externa quiete interno autem cuiusvis & agentis & reagentis motu æquali gaudet.* Longe autem plures sunt ejusmodi motus regulæ, quam ut omnes hic enumerari ac explicari possint. Omnes interim ejusdem sunt certitudinis &que ac necessitatis hypotheticae, constituunt enim una cum structura partium Cursum naturæ, huic universo peculiarem, qui cum semel ex omnisapiencia Dei ut optimus introductus, jam non in meliore, multo minus in imperficiorem degenerare potest, atque ita immutabilis est, non autem esset immutabilis, si præter essentiam mundi necessariam, regulæ quoque motus sua non gaudenter certitudine, quodsi autem certa sunt motus regulæ, ex quibus phænomena naturalia oriuntur omnia, certe illi eventus harum certitudinem nimium quantum debilitate nisi penitus evertere dicendi sunt, qui nexui eventuum ordinariorum immiscuntur quidem, juxta regulas motus autem non oriuntur. Miracula ergo regulas motus debilitate, ortu &que ac progressu nec non exitu suo comprobant. Apparent miracula multorum hominum oculis ut effectus extraordinarii, oriuntur & occidunt, ergo per motum, motus autem ex se ipso oriri nequit, sed quicquid movetur, moveatur ab alio; en ergo certitudinem legis violatam; miracula oriuntur per motum, ast non moventur ab alio quodam corpore, nullas enim illorum cum aliis datur nexus. Nec perseverant miracula in statu suo vel quiescendi vel mo-

C 2

vendi,

* Vid. Jo, Keill, l. c, Lect. XII, p. 131.

vendi, uniformiter in directum, non enim mundo ita sunt propria, ut non aliquando esse desinant, quandocunque ergo evanescent, mutant statum suum, nullam in mundo mutationis suæ rationem habentia. Ac ita etiam se habent miracula, circa æqualem actionis & reactionis communicationem, in instanti enim adsunt, adeoque nulla materiæ reactio illis contraria, neque actioni æqualis esse potest.

§. XII.

Cum ergo miracula ut eventus accidentales & in instanti orta ex essentia mundi necessaria motuque omni successivo non possint deduci, quin potius arctissimum partium totius hujus universi nexum, eo ipso quod eidem immisceantur, disrumpant, peculiarique ratione motus regulis prorsus contraria producantur, ea quoque contra naturam hujus universi esse ex ante probatis vel mihi ad minimum sequi videtur. Absit autem mens litigiosa procul, vocum tantum certamine gaudens, quicunque enim pares hisce mecum de miraculis meditationes habueris, sive postmodum ea contra sive supra naturam tantum esse dixeris, mihi perinde est; quodsi autem, nulla praesente ratione, a genuina vocum significatione recedendum non sit, veritati faveas, rem quamvis suo nuncupando nomine, & ipse fateberis, miracula esse contra naturam.

§. XIII.

Nec ullo modo tibi Petrus Poiret obesse potest, veritas enim cum una tantum sit, opinionibus aliorum everti nequit, Citatus equidem autor ut de miraculis bene judiceret, supponit, res manere in suo statu, adeoque posito miraculo, viam ejus explicandi que minus a statu rerum recedit, phænomeno autem clare satifacit, preferendam esse ei, qua rerum statum magis turbar,

bat, maxime vero ei viæ, quæ ipsam rerum naturam omnino subverti supponeret. * Ast cum §. antecedente ipse definiverit miracula, esse effectus, quos Deus aliter quam sub conditionibus ordinatis producit, ipse sibi prælupposito suo obest, nam cum concedat, res manere in suo statu, id quod nexus rerum etiam requirit, cur adeo dubius de miraculorum existentia hæret, ut præsupponat miracula, posito miraculo, si enim revera dantur miracula, supposta non sunt cumulanda, veritas quippe rei cuiusdam non supponenda, sed indicanda est, si non, non entis definitionem præmisit, quod frustraneum; posterius ipse negare videtur, viam quandam miracula explicandi suppeditans, ac quidem eam quæ minus a statu rerum recedat, phænomeno tamenclare satisfaciat, via hæc eam maxime desideretur, nec ab ipso apponitur, sed tantum supponitur, effectum autem sub conditionibus extraordinariis productum explicare velle eo modo, ut a statu rerum minus recedatur, phænomeno tamenclare satisfaciat, inanis labor erit, miraculorum enim explicationi claræ nullus satisfacere potest, quia conditiones ordinarias nemo perfecte novit, proinde nec determinare ullus potest, quibus conditionibus status rerum absolvatur, huic ergo inscitiae labyrintho involutus unde nosse poteris, te vel minus vel maxime a statu rerum ordinario recedere, & cum ordinarias non sufficienter noveris conditions, quomodo a statu rerum minus recedens, ex conditionibus extraordinariis multo majoribus intricatis difficultatibus, miraculorum explicationi & quidemclare satisfacere velis & possis, non capio; nequid dicatur de præluppositi consequentia nullo modo fluente: res omnes maneat in suo statu, ergo miracula ita explicanda sunt, ut a statu rerum minus recedatur; vel enim miracula sunt phænomena naturalia, atque tam a statu rerum plane non est recedendum, vel non sunt naturalia, atque tum potius indagandum, in quantum a

C 3

præ.

* Vid. ejusd. Cogitat. rational. de Deo, anima & malo Lib. III. Cap. Iij. p. m. 470.

præsenti statu recedant, non vero explicationi nostræ limites ponendi, ne minus recedamus; Dei enim opera non ad nostram sese metiuntur explicationem, quia, maxime miracula captum humanum transcendentia nunquam satis intelligibili modo explicari possunt, semper indaganda. Succurrit equidem miraculorum evolutioni præsentis status notitia, ast, ut ex antecessis patet, eam aperuit illa explicandi viam, quæ viæ ab autore indicate vel ideo præferenda, quod veritati magis consentanea sit. Ominino ergo deficit autor & in præsuppositi sui pondere & in ejusdem probatione, hujus enim loco pergit tantum; *boc ita clarum est, ut ab eo probando, maxime post ea, que jam de Dei dominio & potentia notata sunt, abstineam.* Quid vero ex dictis de Dei dominio & potentia pro hoc supposito fluat, sedula sed & frustanea lectio docebit; quodsi autem dixisse idem sit ac probasse, facile probare poteris, Poiretum in hoc loco Spinozismum fateri, si præsupponas, eundem miraculorum vel existentiam vel genuinam essentiam negare.

S. XIV.

Ex præsupposito falso duas autor elicit regulas maximi, ut sibi blanditur, usus; prima est: *Miracula non sunt contra naturam rerum extensarum, sive non destruunt ideas materiæ seu extensionis vel spatii; nec ideas motu aut quieti aut divisionis materia.* Non quidem credideris, autorem materiæ extensiōni, spatio, motui & quieti ideam quādam tribuere, hæc siquidem immaterialibus substantiis tantum propria sit, id interim affirmare poteris, alium longe & a communi conceptu diversissimam ipsi materiæ, extensionis, spatii, motus & quietis ideam esse, extensionem enim & spatium nec non materiam ipsum ut synonyma habet, motum & quietem autem cum rebus extensis conjungit quin potius confundit, quæ tamen omnia inter se maxime differunt, licet conjunctim accepta, ad essentiam

tiam

tiam & naturam totius universi omnino pertineant. In evolutione autem phænomeni cuiusdam miraculosi diffici non a difficultibus ad facilitiora progrediendum sed contra, corpora ergo omnia, in quibus miracula fiunt, licet materia extensione, spatio, motu & quiete gaudeant, tam clare tamen explicari non possunt, quam cum antea ut partes unum compositura constituentes investigantur, maxime cum & miracula non ex particulari corporis cuiusdam, sed totius universi natura æstimanda atque dijudicanda sint, explicaturus ergo miraculum prius ostendas, quomodo idem ex toto mundi systemate fluat vel non fluat, postmodum autem ad speciale ejusdem corpus descendas, & felix semper erit laboris finis. Hæc ipsa Poiretus cum neglexerit, verba tantum pro explicatione regulæ suæ afferit, quando addit: *Non faciunt, ut hæc essent esse id quod sunt inessentia, multo minus, ut in existentia manante, & tamen simili non maneant, sed mutentur, v.g. ut extensio parva sit materia, sive extensio magna & non parva.* Loquitur autem autor de materia, extensione, spatio, motu & quiete, quis autem unquam dixit, essentiam materiæ, extensionis, spatii, motus & quietis per miracula mutari, an & affectiones alicujus rei proprias & ab essentia ejusdem rei distinctas possunt habere essentias? in corpore ergo humano tot erunt essentiæ, quod sunt ejusdem attributa, quam miraculosum autem tum hominis non erit corpus? Neque miracula faciunt, ut materia non sit materia, extensum non sit extensum &c mulo minus ut extensio parva sit materia, sive extensio magna & non parva, quæ verba omni intelligibili sensu ac proinde & specie tantum veritatis carere mihi videntur. Cæterum miracula nihil mutant in accidentalibus sed tantum in essentialibus, accidentia enim semper sunt mutabilia, semper ergo miraculi quid in illis accideret, quando & sub conditionibus ordinariis eventus quidam prodirent, cum nullus effectus ordinarius eveniat absque mutatione vel materiæ vel extensio-
nis, spatii, motus aut quietis; aer enim in nubibus roridis va-

pori-

poribus inclusus condensandus est , aut vapores pruinosi in aetrem inferiorem eumque calidiorem delati regelentur , quo confluentes guttas componant ob gravitatem suam decidentes , quod nobis pluere dicitur . Infelix autem autor ea omnia non satis accurate perpendens , quo minus a statu rerum recedere vult , eo minus rem ipsam tangit , nec phænomeno clare satisfacit .

§. XV.

Eiusdem etiam valoris altera est regula , quæ ex premisso presupposito progeditur : *Miracula non sunt contra regulas primiorum modorum rerum extensarum* , primarii autem modi , uti in sequentibus se explicat , ipsi sunt motus & quies , quemadmodum secundarii seu modorum modi , quietis situs & motus determinatio . Mirum omnino cuiquam videri posset autorem ipsum jam modum appellitare , quod paulo ante adhuc res extensa erat , cum res extensa & ejusdem modus haud sint eadem : motus autem nec extensem est nec extensa rei modus , non extensem , quia motus , qui & ex mente Cartesii translatio est unius partis materiae ex hac in aliam viciniam , nullam observat dimensionem in longum , latum aut profundum ; non modus rei , quia etiam absque mutatione modi corpus nihilominus localiter moveri potest , neque motus tantum modum rei constituit aut variat , ita enim mundus , qui semper in motu fuit , modaliter diu jam mutatus esset , qui idem tamen adhuc est , qualis unquam fuit & erit , cum etiam motus ipsissima moventis seu virtutis motricis actio sit , qua corpus transit de loco in locum , modus autem non tam intrinsece quam extrinsece rem afficiat , motum potius medium asequendi modi , non vero modum ipsum dixeris . Quies absolute spectata similiter non est modus rei , corpus enim eundem modum habere potest in motu , quem habuit in quiete ; sive enim solem moveri putas , sive immobi-

mobilem ponas in loco sibi a Deo assignato, eodem se habebit modo nec ulla modalis aderit mutatio, modorum autem modi imaginationis tantum icones sunt, ita enim & somnus esset modus cogitationis, quæ ex eodem fonte modus esset animæ. Sed pergit autor, regulâ suâ ex adducta lege probatâ tandem concludendo nil unquam in natura observatum esse, quod salva sua lege & per illam explicari non potuerit, imo nullum designari posse miraculum, quod contra hanc legem pugnet. Quænam autem illa lex; *ut motus & quies, uti jam extant, non pereant, sed in eadem quantitate & proportione permaneant.* Nullus non fateberis, autorem hac lege omnino multum efficere potuisse si universaliter vera esset, ast imbecillitas ejusdem jam demonstrata suisque vindicationibus exuta & denudata est, ita ut nihil roboris ei superstis, * non enim licet quantitatem motus cum quantitate virium motum promoventium confundere, vi- rium equidem quantitas eadem semper erit quæ unquam fuit, motus ipse vero & accrescere & decrescere potest, id quod ne- mo negat. Diruto ergo fundamento omnia huic innixa ratio- num pondera per se cadent, nullus enim ipsi objecerit id quod tam anxie solvit; *et si motus incepit subito esse in corpore prius quiescente & tamen nullum aliud corpus ad servandam proporcio- nem videatur quiescere, vel contra; non sequitur tamen, motum aliquem de novo fieri contra legem dictam &c.* Consequentia objectionis utique non sequitur, ast neque ipsi conceditur, mi- raculum, antequama appareat, jam esse corpus quiescens, cui tantum novus motus introducitur, ut miraculum evadat, si enim miracula ante existentiam suam quoad essentiam adsunt, erunt vel cum mundo connexa, atque ita naturale quid, vel extra hoc universum atque tam nullius usus, Deus enim & natura nihil faciunt & fecerunt frustra, quin & absurdum est, essentiam alicujus rei actu precedere ejus existentiam: neque miracula

D

tan.


* Vid. Act. Erudit. Lips. Anno 1686. mens. Mart. p. 161. & Anno 1691. mens. Septembr. p. 439.

26 MEDITATIO PHILOSOPH. DE MIRACULIS.

tantum subito sed in instanti oriuntur. Nihil ergo autor evicit,
quin adhucdum triumphet veritas , miracula esse contra condi-
tiones ordinarias , imo contra cursam hujus universi.

Jam tuum expecto judicium L. B. qnod tale erit,
qualis tibi semper est consuetudo judicandi de materia
quam vel optime vel mediocriter intelligis ; idipsum
jam sive maturum sive immaturum fuerit , si modo sin-
cerum mihi semper placebit , neque enim unquam Phi-
lavtiæ adeo deditus fui , ut me errare posse negaverim,
quin potius ex ratione oppugnatus , me vel dilucidius
explicare vel etiam mentem aliquatenus mutare
nullus unquam dubitabo. Vale.







00 A 6445



56.

R 1017 74.96.





62 58

MEDITATIONIS PHILOSOPHICÆ
SPECIMEN
DE
MIRACULIS,
PRO RECEPTIONE
IN FACULTATEM PHILOSOPHICAM
EXHIBET
M. CHRISTOPH. FRIED.
Baumgarten/
RESPONDENTE
JOH. GODOFR. ARNOLDT,
REG. PRUSS.
ANNO MDCCXXI. D. III. DEC.
AB HORA VIII. USQUE XII.
—
REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.